Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



mas

44

amplius Tu autem domine sabaoth qui iudicas iuste et probas renes
et corda videam vlcisci de eis / tibi enim revelauimus causam meam
propterea hec dicit dominus ad viros anathoth qui querunt animam tuam et dicunt
Non prophetabis in nomine domini et non morieris in manibus nostris propterea
hec dicit dominus ecce visitabo super eos Juvenes morientur
in gladio filii eorum et filie eorum morientur in fame et reliquie non erit
ex eis Inducam enim malum super viros anathoth annum visitationis eorum

Justus quidem tu es domine si disputem tecum PIC
verumtamen iusta loquar ad te Quare via impiorum prosperatur
bene est omnibus qui prevaricantur et iniquitate agunt plantasti eos
et radicem miserunt proficiunt et fructum faciunt prope es tu ore eorum
et longe a renibus eorum Et tu domine noste me vidisti me et probasti
cor meum tecum Congrega eos qui gregem ad victimam et sanctifica eos
in die occisionis Usque quo lugebit terra et herba omnis regionis siccabitur
propter malitiam habitantium in ea consumpta est avis et volucres quia
dixerunt Non videbit novissima nostra Si cum peditibus currere laboras
quomodo contendes cum equis Cum autem in terra pacis securus
fueris quid facies in superbia Jordanis Nam et fratres tui et domus
patris tui etiam ipsi pugnaverunt adversum te et clamaverunt post
te plena voce Ne credas eis cum loquuntur tibi pulchra Reliquiam domus
meam dimisi hereditatem meam dedi dilectam animam meam in ma
nus inimicorum eius facta est mihi hereditas mea quasi leo in silua
dedit contra me vocem idcirco odium habui eam Numquid avis discolor hereditas
mea mihi Numquid aves circumquaque super eam bestiae
terre properate ad devorandum Pastores multi demolierunt
vineam meam conculcaverunt partem meam / dederunt portionem meam
desiderabilem in desertum solitudinis posuerunt eam in dissipationem
Luxit super me desolatione desolata est omnis terra quia nullus est
qui recogitet corde Super omnes vias deserti venerunt omnes vastatores quia gladius domini devorabit ab extremo terre usque ad
extremum eius Non est pax universe carni Seminaverunt
tritica et spinas messuerunt hereditatem acceperunt et
non eis proderit Confundamini a fructibus vestris propter
iram furoris domini Hec dicit dominus adversum omnes